

† R. P. Iosephus Beine (1882-1935)<sup>1</sup>

(Prov. S. Lud.)

Primus e nostris Statuum Foederatorum «missionariis Mexicanis» ad aeterna praemia vocatus, R. P. Iosephus Beine, in Germaniae urbe Essen in vitam venit d. 26 Oct. 1882 atque a. 1886 a parentibus, Henrico Beine et Carolina Neuhaus, in Americam deductus est. Ibi familia Chicagiae in paroecia nostra S. Alfonsi consedit. Iosephus, annos natus tredecim, petuit admissi in nostrum Seminarium Kirkwood, et medicus, licet in puero defectum cardiacum repperisset, eum tamen commendavit dicens: « Bonorum sacerdotum penuria est ». Revera Iosephus evasit bonus sacerdos plurimumque pro salute animarum laboravit, quoad cordis morbo aetatis anno 53° e vivis sublatus est.

Studia inferiora igitur in Kirkwood in collegio S. Joseph absolvit, tyrocinium duce P. Adamo Herz<sup>2</sup> partim in De Soto, partim in Kansas City, superiora studia in De Soto, in cuius collegii sacello d. 5 Jul. 1906 primam suam Missam cantavit, diaconi officio fungente fratre Henrico, qui biennio ante Iosephum vota in Congregatione emiserat.

Iuvenis Pater primum libens iuventuti nostrae vires suas dedicavit, per biennium Lector historiae ecclesiasticae in studentatu et per sexennium Lector iuvenatus, simul per triennium Socius P. Directoris. Erat etiam verus socius ac velut commilito iuvenistarum, una cum ipsis laborans et ludens et cantans et ridens, eosque qua moderator spiritus in sancta vocatione confirmans. Sibi non parcens, ex integrae hebdomadis 23 horis scholasticis ipse interdum 22 tradebat, eodemque tempore diebus Dominicis foras exibat ad ministerium apostolicum.

<sup>1</sup> *Perpetual Help*, Martio 1935, p. 13-16.

<sup>2</sup> De hoc insigni Magistro novitiorum cfr. *Analecta V* (1926), 181-183.

A. 1915 ad urbem patriam missus, statim totum multiplici operi paroeciali sese dedit, sive in ecclesia nostra S. Alfonsi, sive ad lectum aegrotantis, sive in variis domibus religiosis urbis, sive etiam foris. Sex annis, quibus Chicagiae stetit, vel solus vel cum aliis praedicavit saltem 9 missiones, unam renovationem, 11 cursus exercitiorum totidemque devotiones XL Horarum.

A. 1921 Superior Provinciae hunc religiosum ferventem apostolatui multo difficiliori, sed eminenter Alfonsiano destinavit, videlicet « Missioni Mexicanae ». Mexicani, qui ultimis temporibus in Status Foederatos immigrarunt, sunt pauperrimi pauperum, non solum quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia<sup>1</sup>. Eorum miseritus, R. P. Ioannes Muehsiepen, sodalis Provinciae S. Ludovici, inde ex a. 1912 cum Superiorum benedictione Mexicanorum apostolatui se totum devovit, sed iam post sexennium ingenti labore eius vires confractae sunt. A. 1921 Exm̄us D. Drossaert, tum Episcopus, hodie Archiepiscopus S. Antonii (*San Antonio, Texas*), Redemptoristas rogavit, ut stabilem curam Mexicanorum miserorum susciperent, id quod factum est, et unus ex his missionariis fuit frater, in cuius memoriam haec scripta sunt.

P. Iosephus Beine, quo erat spiritu sacrificii animarumque zelo animatus, generose tot commodis vitae valedixit, novam linguam addidicit novoque vitae generi se assuefecit. Nondum annus praeterierat, cum dioecesim Wichita, Status Kansas, una cum R. P. Eduardo Molloy, hodierno Praefecto studentium in Oconomowoc, peragravit ad evangelizandum pauperibus Mexicanis, tunc temporis propter proselytismum haereticorum in summo fidei periculo constitutis. Raro in aliqua ecclesia praedicare poterant, multo saepius laetum salutis nuntium annuntiabant in aliquo tugurio vel in ferroviario vehiculo mercium vel sub dio; et « systema » harum missionum erat simplicissimum illud ab ipso divino Redemptore olim adhibitum.

Post aliquod tempus P. Beine formaliter communitati Wichita adscriptus est, quo melius se Mexicanis illius regionis devovere posset. Et revera sese impendit et superimpendit pro ipsis. Probabiliter nunquam in hoc mundo sciimus accurate, quantum operae ibi perfecerit; siquidem malebat animabus salvandis adlaborare, quam de labore exantlato notitias et statisticas conscribere. Certum est autem praecipua eius opera in Wichita pro Mexicanis duas paroecias erectas et primam scholam paroecialem constitutam esse.

A. 1927 rediit S. Antonium, Rector communitatis « Mexicanae » ad Matris de Perpetuo Succursu, et ibi quoque ostendit, quantopere pauperes Mexicanos amaret. Videres eum propriis manibus illis victum vestitumque

<sup>1</sup> Cfr. *Analecta X* (1931), 240-242.

distribuentem, coronas quoque Rosarii ab ipso in recreatione communi confectas, vel catechismos libellosque precum in Europa parvo pretio emptos. Etiam aedificatio novae ecclesiae in loco Martinez primario ipsi debetur.

Praeterea, cum aliquam petitionem respuere vix posset, rogatus ab Ordinario loci in Seminariis archidieocesis munus confessarii ordinarii et spiritualis directoris obibat atque saepenumero in variis domibus religiosis verbum Dei annuntiabat vel confessiones excipiebat.

Tot tantisque laboribus valetudinem eius grave detrimentum cepisse mirum sane non est, quare a. 1930, rectoratus onere liber, iterum Wichi-  
tam missus est et a. 1933 in collegium studentatus Oconomowoc. Hebdo-  
mada Sancta superioris anni, in loco Waukesha confessiones excipiens,  
cordis ictu apoplectico tactus concidit et ultimis sacramentis munitus est.  
Dominus ianuam pulsabat, concedens tamen ei ad maiora merita caelo  
promerenda alios novem vel decem menses, quos partim inter confratres  
in Oconomowoc, partim in nosocomiis oppidorum Baraboo et Madison  
transegit. Hoc postremo loco post duram cum morte luctam mane diei  
11 Jan. 1935 *athleta Christi* in pace quievit, praesente confratre, qui olim  
socius eius in Mexicana Missione fuerat. Sollemnem exquiarum Missam  
cantavit frater germanus Henricus, cui Pl. R. P. Provincialis Thomas Pal-  
mer aliique duo connovitii confratris defuncti astiterunt. Contionator  
autem, R. P. Donaldus Miller, iure optimo praedicavit eius fidelitatem  
in opere iniuncto votisque exsequendis, eius zelum in exercendo mini-  
sterio sacro caritatemque erga aegrotos ac pauperes.

R. I. P.